

1843

1844

CODICES HOMILETICI.

DCCLXVI.

R. 3326 **C**odex membranaceus lat. Sec. IX. Folior. nunc 198. f. min. bene perscriptus, minioque distinctus in fronte Titulum literis quadratis exaratum habet, sed ita jam fugientem, ut non nisi sequentia prendere potuerim: — — *Hidebaldi Archiepiscopi-Co. Lantperbtus Abbas Hunc Librum Rogabo (sic) Scribere Temporibus Nostris Multos Annos Vita Nostra Domino Adiuuante Feliciter Et S — — Illum Librum Legat Semper — — Coloniensem hunc Praesulem obivisse tradit Gallia Christ. T. III. col. 635. anno 818. Inde de Codicis aetate statue. Lantpertum in nullo Dioec. Colon. Abbatum Catalogo reperi. Pag. 2. Index*

Homiliarum a Dom. Post Ascens. usque ad Vigil. S. Andreae pertinent additis Evangeliiis et Homiliis in Dedicat. Ecclesiae et in Conuentu Sacerdotum. Citantur Initia Evangeliorum tam in Dominicis, quam in SS. Festis intercurrentibus legi solitorum; Dominicae vero ita numerantur: IV. post Pentecosten, VIII. post Natale Apostolorum, Petri videlicet et Pauli, VII. post Sancti Laurentii, et VI. post Sancti Angeli, puta Michaelis, cujus dies praescriptus est: In nat. sancti michabelis archangeli. Computando igitur ab Ascensione Domini una cum Dom. Pentecostes habentur Dominicae XXVI. Quare Pars haec Homiliarum,

1845

HOMILETICI.

1846

rii, seu *Lectionarii* aestiva est. Quae porro inter illam, et Indicem mox descriptum interjecta sunt, a paullo recentiore manu veniunt, et a compactore hic locum invenerunt. Inscribuntur autem: *In festiuitate Omnium Sanctorum*, constantque *Homiliis* II. ἀδελφοῦ τοῦ, sed quae *Bedae* sunt, et inueniunt I. *Hodie dilectissimi omnium sanctorum sub una* &c. II. *Legimus in ecclesiasticis hystoriis, quod sanctus bonifacius* &c. Satis hic correcte scriptae sunt, et in edit. Colon. 1688. leguntur col. 149. T. VII. nobis tamen Secundae pars maior excidit. Fol. demum 16. incipit: *Dominica post Ascens. Domini. Lectio Sancti Evangelii Secundum Iohannem. In illo tempore dixit ihesus discipulis suis. Cum uenerit paracletus, quem ego mittam* &c. *Omelia Lectionis Eiusdem*. Ita sane; verum cuius auctoris? Quaedam e plurium PP. locis compilatae sunt, quorum nomina per margines adsistunt; aliis nomen Auctoris a prima, aliis a secunda manu adstitutum, multae dominum quaerunt. Auctores nominati *Ambrosius*, *Augustinus*, *Beda* frequens, *Caesarius*, *Eusebius* dictus *Emiffenus*, aut *Gallicanus*, *Fulgentius*, *Gregorius M.* *Hieronymus*, *Hilarius*, *Iob.* *Chrysostomus*, *Leo*. Inter Anonymas mox prima in *Dom. post Asc.* *Bedae* est, sed imposito alio initio: *Dominus noster Iesus Christus in sermone* &c. cum apud *Bedam* T. VII. col. 32. incipiat: *Ex multis sancti Evangelii locis* &c. Idem dic de secunda in *Vigil. Pentec.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

ubi pro verbis *Bedae* T. cit. col. 38. *Quia sancti Spiritus hodie* &c. nobis principium ponitur: *Quia uigilias uenturae sollemnitatis* &c. A. *Dom. Pentec.* euulsae sunt Membranae usque ad *Feriam VI.* *Homilia in Oct. Pentec.* in illud: *Erat homo ex Pharisaeis Nicodemus* &c. *Iob. 3.* ignoti mihi Auctoris, et huius initii est: *Cum diuersis signis ac uirtutibus dominus & saluator noster diuinitatis suae potentiam declarauit, uenit ad eum nichodemus princeps iudeorum tempore noctis, & dixit ad eum: Scimus quia a deo uenisti* &c. *Nichodemus iste princeps iudeorum desiderabat quidem ad dominum uenire, sed iudeos timebat offendere* &c. *Dom. V. post Nat. S. Laurent.* (nobis XV. post *Pentec.*) in illud: *Ibat Iesus in Civitatem* &c. *Luc. 7.* *Homilia* a secunda manu inscripta est *Ambrosio*; sed recte in margine: *Non est Ambrosii.* Cui porro tribuenda sit, nihilo magis scio. Incipit illa: *Audistis dilectissimi fratres cum euangelium legeretur pietatem et misericordiam domini saluatoris nostri, quod ad misericordiam motus est super unius uidue filio* &c. Eadem ratione nescio, cui *Homiliam* in *Dom. II. post sancti angeli* (XXIII. post *Pent.*) in illud *Luc. 8. Loquente Iesu ad turbas ecce princeps unus* &c. tribuam, quae incipit: *Audistis ex lectione euangelica fratres karissimi, quia loquente* &c. *Vir iste princeps doctores & praedicatores, qui ex iudaeis crediderunt, significat* &c. Atque, ut rem compendio proponam, reliquarum *Homilia-*

E

milia-

1847

I C O D I C E S

1848

miliarum ἀδελφότητων initia hic ad-
scribo, ut Lector me peritior ea-
rum Autores adsignet, aut typis
nunquam procusas fuisse mecum
statuat.

Dom. IV. post S. Angeli. Si-
mile est Regnum Coelorum homi-
ni Regi &c. *Matth. 18.* Hom.
*Dominus enim deus noster, qui
nos summa bonitate creauit &c.*

In Conuentu Sacerdotum. Re-
spiciens Ihesus discipulos suos &c.
Matth. 18. Hom. *Dominus & sal-
uator noster fratres karissimi ait
praesenti lectione, ut audiuit dile-
ctio uestra: Ubicumque duo uel tres
&c.*

Item unde supra. Hom. *Heri
fratres dilectissimi pauca uobis de
uestrae uitae conuersatione dixi-
mus, modo quoque alique dicamus
de eis, quibus alios instruere &c.*

*Item unde supra uel ad sanctae
(sic) monialium.* Hom. *Dominus e-
nim noster ihesus christus creator
& amator animarum nostrarum
&c.*

In nat. S. Agapiti. Sint lumbi
uestri praecincti &c. *Luc. 12.*
Hom. *Audistis dilectissimi, quomo-
do dominus suos discipulos ammo-
nuit parare se &c.*

*In nat. sanctorum Protasi &
Geruasi.* Cum audieritis praelia
&c. *Luc. 21.* Hom. *Domino deo
nostro laudes laeti canimus, dum
sanctorum festa martyrum celebra-
mus &c.*

In uigil. sancti iohannis baptistae.
Fuit in diebus herodis regis iudee
&c. *Luc. 1.* Hom. *Sacratissima pre-
cursoris domini nobilitas, cuius bo-*

*die festa pia deuotione praue-
nimus &c.*

In natal. sancti Petri. Venit au-
tem Ihesus in partes Caesareae
&c. *Matth. 16.* Hom. *Tempus
bodierne sollempnitatis, quia prin-
cipis apostolorum festa celebramus,
admonet nos &c.*

Dom. I. post nat. apostolorum.
Factum est autem, cum turbae ir-
ruerent. &c. *Luc. 5.* Hom. *Audi-
uit dilectissima caritas uestra, cum
euangelium legeretur, quomodo
turbae irruerunt &c.*

*Ebd. III. post. nat. Apostolo-
rum.* Cum multa turba esset cum
ihesu &c. *Marc. 8.* Hom. *Modo
fratres karissimi cum euangelium
legeretur, audiuimus, quia turba
cum esset cum ihesu &c.*

In nat. VII. fratrum. Nemo
lucernam accendit &c. *Luc. 11.*
Hom. *Post multam ac caelestem
doctrinam qua discipulos suos domi-
nus ac saluator noster instruxit &c.*

*In nat. sancti Stephani pontifi-
cis.* Homo quidam nobilis &c.
Luc. 19. Hom. *Homo ergo nobi-
lis, qui abiit in regionem longin-
quam, dicitur, ut in presenti le-
ctione audistis, ipse dominus ihesus
christus &c.*

*In nat. sanctorum Xisti Felicis-
simi & Agapiti.* Ecce ego mitto
uos sicut oves &c. *Matth. 10.*
Hom. *Attendamus dilectissimi fra-
tres, quemadmodum discipulos suos
ueritas &c.*

In uigil. sancti laurenti. Si quis
uult post me uenire, abneget &c.
Matth. 16. Hom. *Gaudeamus igitur
dilectissimi gaudio spiritali in
beatif-*

1849

HOMILETICI.

1850

beatissimi christi martyris laurentii festiuitate &c.

Item in nat. sancti laurenti in die. Nisi granum frumenti cadens in terram &c. Job. 12. Hom. Saluator noster fratres dilectissimi discipulorum animos ad passionis suae sectanda uestigia &c.

Habet praeterea venerandus ceterum hic Codex illud incommodi, quod compactoris vitio turbata sint folia.

DCCLXVII.

R. 3349 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 56. 8. min. luculentè et eleganter exaratus, minioque distinctus continet Sermones VIII. qui sunt: *Sermo in aduentu domini. Init: Propitia Diuinitate karissimi iam adueniunt dies &c. Alius Sermo. Nempe in Adventu. Init: Sanctam et desiderabilem et gloriosam ac singularem sollempnitatem &c. Sermo in Natiuitate domini. Init: Audistis fratres quemadmodum nobis beatus euangelista &c. Sermo in Epyphania domini. Init: Sollempnitas hodiernæ diei ab apparitione nomen accepit &c. Sermo in Purificatione S. Mariæ. Init: Purificationem beatæ uirginis hodie celebramus, que secundum legem &c. Sermo in Annuntiatione S. Mariæ. Init: Descendens angelus de celo missus a patre deo &c. Sermo de cruce et passione domini. Init: Magnum est sacramentum crucis, nec est aliquid hoc sacramento sanctius &c. Sermo de Resurrectione domini. Init: Non queo fratres karissimi, quod mente con-*

cipio, ore proferre &c. Ex omnibus his solum secundum, olim Augustino tributum, reperi a Maurianis in Append. T. V. repositum, ubi inter Caesarianos est n. CXVI. sed neque reliqui merito his inferiores sunt.

DCCLXVIII.

Codex membraneus germ. R. 2056 Sec. XIII. Folior. nunc. 43. 4. *Homiliarium* est, non una manu, probe tamen exaratum et rubricis distinctum, cuius Sermones ita, ut se excipiunt, indicabo: *In Pascha. In Octava Paschæ. In Romanâ Letania. Philippi et Jacobi. Des Crucis (Inven. Crucis). In Circumcisione domini. In epyphania domini nostri. Dom. in Septuagesima. Sermo in Quadragesima. In annunciat. domini. In septuagesima. In Sexagesima. In Quinquagesima. Feria Quarta in capite Ieiunii. Dominica in Quadragesima. Dom. in Quadrag. II. Dom. III. in Quadrag. In media Quadrag. Domin. Dom. in passione domini. Dominica in palmis. In Adventu. Fides Katholica cum Indulgentia, et Commemoratione uiuorum et defunctorum. De S. Andrea. De S. Nycolao. In Natiuitate. Stephani. Sermo habitus 4. Julii. De S. Margareta. De Poenitentia Theophili Vicedomini. Dom. III. post Pentec. Dom. IV. Dom. V. Hic abrumpitur Codex, qui, ut ex hoc Indice patet, temere compactus est, et pluribus hinc inde foliis multatus, quod, cum propter observationes quasdam liturgicas, tum propter*